

In diesem Buch werden gefunden:

1. Fürstliche Oberpfälzische Festliche Ordnung, auf Antrage
[ao 597.]
 2. Kürzer Bericht in Oberbayern, durch M. Casp. Bucha, Med. in Cöln
 3. Gründlicher Tractat S. Tob. Dornhairs, Med. in Lün. von d. Pest
[ao 603.]
 4. Bericht v. Fürstlich Anstalt Woflag in Zwick. [ao 607.]
 5. Regiment für die Stadt Zwick. v. D. G. Aplan. 607.] D. G. Salm.
 6. Vortr. für die Fürstlich Anstalt Woflag in Duffa. 607.
 7. Hand Regiment S. Christoph. Mandern, Med. in Leipzig, wird die Pest d. Pest. 598. 7 607.
 8. Bericht des Collegii Med. in Wittenberg, wird die Pest, [ao 607.]
 9. Promtuarium, wie man sich solch Zeit zu halten v. Andr. Lagavij, Med. in Juba. 1576
 10. Bericht für die Städte Zwick. und Bayreuth v. D. Hoff. Marxb. an 1576.
 11. Kürz. Tractätlin von d. Pest v. D. Jo. Franci, Med. in Zwick. an 1577.
- Alexander III. Disputator in Academiae habitus a divinis

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATUS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xc. 37.

14

POSITIONES
DE PESTE

Quas,

I. D. E. A. I.

Decreto & auctoritate amplissimi
& gratiosissimi ordinis Asclepiadæi,
almæ Basileensis Acade-
miæ

*Pro summis in arte medica ho-
noribus ac privilegijs consequen-
dis,*

Publicè disputandas proponit.

M. PETRVS KIRSTENIVS
Vratislaviensis
Sil.

Ad diem x x i x. Augusti.

Hora locoq; consuetis.

BASILEAE,
Typis IOHANNIS SCHROETERI,
M. DCI.

DE PHIST

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.

Problema in arithmetica

Tabulae logarithmicae

M. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.

Tabulae logarithmicae

M. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.



contagiosus ^c, à proprietate ^d, ex occulto totius temperamenti gradus excessu ^e ortá, hominibus ^f magná ex parte lethalis ^g.

^a Et quidem intemperiei quamvis non simplicis sed secúndi generis, ac cordis sanè primò, etiamsi interdum sub exco ^d tantum, quamvis plures partes imò totum corpus in consensum trahat, quísdam etiam partes pro ipsarum dispositione, magis sensibiliter interdum quàm Cor afficiat. Non verò est febris, quia non est calor præter naturam in Corde accensus ut multi statuerunt, neq; semper hanc habet iunctam, ut constat ex Hippocrate 3. Epid. 3. 25. & 35. Et ex Galeno in locis prædictis & comment. 59. eiusdem. 3. ac 9. simplic. cap. de terra samia, licet frequentius ei adsit, Unde lib. de flatibus pestis dicitur febris communis. Differt enim febris pestilens à peste vera actú quasi secundo potius quàm primo, quod illa ubi paucos interfecit desinat, & hac quandoq; febre careat.

^b Et quidem λοιμώδης. Nam licet pro varia eius natura interdum Endemius quoq; dici possit, ut in Sardinia, quare Galenus etiam. 1. Epid. hac in parte variat, quia tamen hi non maiorem illorum quos invaserunt partem interficiunt, id quod tamen pestis proprium est, hac minus propriè Endemius morbus vocabitur. Hippocrates etiam propterea de hac inter morbos Epidemios agere voluit. Nec refert quòd secundum quosdam characteres morbi sporadici cum uniuersalibus conueniant.

^c Hunc characterem ceu idiotis quoq; notissimum doctiores non semper exprimunt, 2. de difficult. respir. 7. Contagij autem vox ambigua est. Sumitur enim nunc pro morbo per contagium contracto: nunc pro seminario ipso seu proximo qualitatis eius subiecto: nunc pro toto illo unde seminarium effluit: sæpius pro ipso morbi ab uno in alium transitu, Vel pro ipsa inquinazione: demum propriè magis pro qualitate rerum noxia

in

in se consideratâ, quæ ex suâ naturâ potest sese communicare alijs. Potentiâ verò iure definitur, quia contagiosum quid esse non desinit, licet actu non contamineat aliud, modò habile sit alia inficere, per actus enim primos non secundos res definiri solent. Sed improprie à contangendo dicitur, tactus etenim naturalis (nam de Mathematico vel metaphorico non loquimur) proprius est eorum quorum extremitates seu fines simul sunt, Aristot. 5. phys. 3. At sola corpora sunt talia, quare is corporibus non accidentibus competit. Generatur autem ad qualitates primas elementares, leviter mixtis, tanquam subiectis alienis inherentes, accidentibus alijs viribus ad huiusmodi determinatam actionem dispositis, quod interdum etiam à non contagiosis, ut in putredine, fieri videmus. Unde contagium aliud in corpore generatur, aliud advenit aliunde. Nequæ tamen contagium in essentia sua est putredo, licet sæpè hanc habeat adiunctam: impossibile enim esset, pestem, quæ omnis est contagiosa (de peste immediate à Deo Opt. Max. immissa, non loquor) sine febre dari, quod tamen patet ex antedictis. Necesse namquæ est ut calor cordis innatus prius incendatur, Gal. 1, Aph. comment. 16. quàm ut incendio pereat. At calor incensus ex putredine, quomodo non posset non manifestè sentiri? Qua ratione frigida non indicaret remedia? Ex putredine quoquæ interdum fieri contagium certum est. Contagium igitur ipsa putredo non est, nihil enim fit à seipso, nequæ est antequam generetur. Contagium quoquæ venenum non est, licet utrumquæ in occulto totius temperamentis gradu excessu consistat: & determinatum unde procedat & in quod operetur requirat subiectum: noxium quoquæ & præter naturam sit, suo tamen quodlibet modo: Formâ enim differunt propriâ: Nec venenum semper uti contagium est præter naturam & noxium: Contagium deniquæ primò & per se, ceu venenum cor non petit, sed plerumquæ determinatas partes alias, exemplo luis venerea phthisicorum &c. Sunt autem contagij plures modi & gradus

unde quaedam facile quaedam difficulter sedantur, aliqua subito interficiunt ad quae conducunt plurimum efficientis & subiecti habitas & similitudo, Gal. 2, de morb. caus. 2. & 1 de differ. febr. 4. quare sanguine iuncti inuicem facilius inficiuntur, quam peregrini. Potest autem aliquid contagium continere, & hoc quidem in quibusdam sui partibus non vero omnibus, qua de causa etiam aer in peste cunctis non est noxius, neque tamen hoc ledi.

^a Cuius gradum nequaquam declarare, quamvis aliquo modo latitudinem qua continetur mente comprehendere, possumus. Huic semper quidem iuncta sunt manifesta prima qualitates, quarum tamen virtus ab illius velociore ac fortiore vi plerumque in agendo antevertitur. Ob antipathia vero sua analogiam haec facilius Cor, quam alia membra oppugnat. Unde quidam probe purgati & bene sani subito peste necantur.

^c quem in rebus non putridis, venenositate vel contagione infectis inveniri quoque posse putamus. Nam Memphiticam aliasque ex specubus subterraneis & locis venenatis alijs, ascendentes exhalationes hunc producere posse certum est. Gal. 2. Epid. comment. 1. Plin. lib. 2. cap. 93. Etenim multoties compertum est, eam quidem, qua noxia temporum mutatione exorta est putredinem excellentem, morbos secutos populares, non tamen pestem: quin imò hyeme frigidam & siccam existente, aestateve calidam & siccam auctam fuisse pestem, quum interim illis vis putredinis debellari debuisset. Subiectum quoque in quo putredo illa summa continetur, tam cito, ut pestis saepe diffundi nequit. Infectorum insuper neque urine, neque sanguis etiam missus putredinem indicant, imò symptomata horum gravissima qualitatis supra putredinem occulta, signa non parva exhibent. Hanc qualitatem licet Galenus in morbis Epidemicis non semper expresserit, saepe tamen alijs nominibus significavit, lib. de Ther. ad Pison. cap. 16. in 3. Epid. comment. 75. 5. in 6. Epid. 6. de locis affect. 8. 1. de differ. febr. 4. haec autem interdum sociam habet putredinem & ex hac oritur, sola tamen nunquam

nonnunquam antipathia sine febre & in instanti interficiens.

^e reliquorum enim animalium pestem veterinarijs relinquimus.

^g At haec non tum demum talis dicitur ubi multos interfecit, sed si modo habilis sit ex se multos interficere. Morborum enim essentia, non ex eo quod illis per accidens convenit, distinguitur, & res ut antè diximus non per actus secundos sed primos rectè definiuntur.

III.

Differentias pestis sumere possumus uel à causa efficiente ^a & formali, eaq; modo substantiali ^b modo accidentali ^c; vel à subiectis ^d quæ invadit, in quibus circumfertur, & sub quibus se insinuat; vel à vi & effectu ^e; vel deniq; à loco ^f ubi gignitur.

^a Ea q; vel proxima de qua in thesi praecedenti dictum est, vel procatartica: Vnde aliam ex putredine, citra putredinem aliam; & vel ex alimentis, vel ex aëre, ob famem, vim ventorum & terramotuum, puteorum longo tempore occlusorum, sepulchrorum vel locorum infectorum & subterraneorum, reserationem, cadaverum insepultorum & evaporationum ex lacubus & aquis quiescentibus, copiam, locorum impuritatem & alijs similibus, ortam, non iniuria dicimus.

^b Vnde pestis alia simplex, quæ sola occulta, nullam manifestam habens sociam, qualitate enecat: alia composita quæ sensibilibus qualitatibus, cum febre nonnunquam, alijsq; symptomatibus iuncta, interficit, dici potest.

^c Quæ quia à conditione accidentium, de quibus nos in praesentia non agimus, sumuntur, non immeritò à nobis quoq; negliguntur.

^d Hæc.

^a Hec sunt vel generalia, qualia tria sunt humor scilicet, vapor seu spiritus, ac solidum corpus, & hoc aut est inanimatum aut inanime, quod rursus vel naturale, vel artificiale est: Vel specialia, aut aër, isq; vel orbis totius, quod vix unquam factum fuit nullus enim ferè supervixisset, vel alicuius saltem provincia, aut tractus locive, vel alimenta, vel animalia, & haec aut omnis generis, aut certa cuiusdam speciei, horumq; nunc humores, ex quibus iam unus pra altero, iam omnes simul, nunc spiritus, affecti sunt.

^c Unde quaedam lenta, quaedam velox, & haec vel magis vel minus acuta, alia salubris, insalubris alia, nominari poterit.

^f Hinc aliam in corpore propter obstructions vel alias occasiones oriri, aliam extra hoc natam, illud inficere, statuimus.

IV.

Causæ præter remotiores, ^a & proximam illam in definitione positam, possunt & aliæ procatarticae & adiuuantes ^b constitui, quarum rursus quaedam externæ, quaedam internæ sunt.

^a Vtpote extra ordinariam operationem Dei. 2. Regum 24. & Ezechiel. 5. in qua creatura Creatori obedire cogitur: nec non astra communes omnium sub lunarium causas dispositivas, quæ considerationi huic nostræ non conveniunt.

^b Vt omnia quæ malignitate suâ alia inficere sunt habilia, vel liberam per & transpirationem prohibentia, vel ad vitium promiscuum invitantia, vel alio modo huic malo corpus preparantia, quorum omnium enumeratio hîc superflua videri non immerito possit, præsertim cum in thesi præcedenti non pauca horum sint commemorata. His addunt quidam planè occultam, soloq; eventu cognoscibilem corporis locive pro peste excipiendam, dispositionem. Unde dicunt alijs morborum generibus laborantes, nec non gulosos, quorum licet corpora
pravis

prævis abundarint humoribus tempore pestis fuisse immunes:
Regiones quoque calidas & humidas, pestem, qua frigidam & sic-
cas pessime affluxit, non esse expertas.

V.

Signa vero vel pestem futuram denunciant
a, vel præsentem indicant b.

a *Ut mutationes temporum insolita, præsertim calidiores
& humidiores, pluviarum quoque assiduitas absque ventis, ma-
ximè in fine veris aut æstate, animalium etiam variorum subi-
taneus & sine causis manifestis copiosus interitus, & alia simi-
lia, quorum tamen certa vix ulla dantur.*

b *Si nimirum brevi temporis spatio sine discrimine plures
morte repentina intereant: si symptomata præter causam sint ve-
hementiora, & omnia fiant horrendissima: si cadavera mox
ubi frigida, præter solitum fuerint mollia, ac in hypochon-
drijs tumida, aceto quoque fervente abluta papulas iterum e-
mittant, nec non tota maximè sub alis, inguinibus & post
aures citra causas manifestas maculis & tumoribus sint refer-
ta, & in dorso nigredo appareat, horumque extremitates omnes,
in primis scrotum, & aurium ac narium pinna, horribiliter
liueant ac pendeant, &c.*

VI.

Prognostica in hoc morbo ob periculum
a plerumque fiunt ad malum.

a *Tam dubia enim & inconstans huius morbi est conditio,
ut sæpe aegri cum se iam convaluisse putant, subito extin-
guantur.*

VII.

In præcautione pestem nondum exortam
vitare, vel exortam a nobis propellere conamur,
quod & consequimur potissimum si causis ob-
viam iyerimus, præmissâ prius verâ ad Deum

Opto

Opt. Max. conversione, & assidua ac ardenti oratione continuata, quod unicum ac verum est remedium omnium malorum, maxime autem illorum quæ immediate à Deo immittuntur.

² Quod in conservanda corporis puritate, & sex rerum non naturalium (quæ in parte magistratus officium non ultimum obtinet locum,) nec non remediorum, quibus & chirurgica complectimur, præservantium, diligenti administratione consistit. Quæ omnia quia pro regionis, anni temporis, ætatis, temperamenti, consuetudinis, aliarumque conditionum ratione, maxime variant, alij de his potius legendi, quam huc intempestive & contra instituti nostræ rationem, compilata ingerenda sunt. Hoc tamen omnino observandum esse statuimus, ne in re tam magni momenti, quibuscumque varia sua, & sæpe falso iactantibus remedia, vel secreta ut nominant, tam temere fides adhibeatur, & ut sordida sordidis relinquuntur hominibus præsidia. Sed potius doctorum hominum ratione & experientia, eaque non qualibet, sed perfecta, dudum comprobatis utamur auxilijs, in quorum numero primas obtinent quæ specifica sive occulta nominantur, sic dicta vel quod planè non, vel haud facile, neque ab omnibus, illorum effectuum ratio reddi queat, hinc quoque illa quæ experientia primum innotuerunt sic vocantur: quò referuntur & amuleta per quæ non characteres verba & figuras, sed res per se agendi viribus, non solum spiritualibus, præditas intelligimus, quæque familiaritate sua partes corporis nostri ita roborare creduntur ut eò fortius adversis resistere, illaque expugnare possint. Ex his tamen semper eligenda sunt ea, quæ præter occultas illas, manifestas quoque corpori nostro convenientiores possideant qualitates, & ut omnibus requisitis ad hanc rem necessarijs probè observatis, deum adhibeantur. Non raro enim ob sui internam & subiecti conditionem, aliumve errorem frustra adhibentur. Manifeste-

*nifestis verò qualitatibus utimur ratione causarum procasar-
eticarum & adiuvantium, de quibus supra diximus.*

VIII.


Incuratione deniq̃, quæ secundum Galenum à præcautione, quantitate potius quàm qualitate remediorum differt. 1. de antidot. cap. 1. & 1. de differ. febr. cap. 4. Omnia, ceu in thesi præcedenti diximus, pariter ex aliorum satis copiosis voluminibus, qualia horum singulorum tractatio requirit, petenda sunt. Nos enim eâ quâ fieri potuit brevitate hanc materiam aliàs copiosissimam, conclusionibus hisce paucissimis huic *ἀπορία* proponere, non verò integrâ tractatione exponere voluimus.

Soli Deo Gloria.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Soll Deo Gloria



Uk 1460

ULB Halle

3


004 396 642



1007

1007





14

POSITIONES
DE PESTE
Quas,
I. D. E. A. I.
Decreto & auctoritate amplissimi
& gratiosissimi ordinis Asclepiadæi,
almæ Basileensis Acade-
miæ
*Pro summis in arte medica ho-
noribus ac privilegijs consequen-
dis,*
Publicè disputandas proponit.
M. PETRVS KIRSTENIVS
Vratislaviensis
Sil.

Ad diem x x i x. Augusti.
Hora locoq; consuetis.

BASILEAE,
Typis IOHANNIS SCHROETERI,
M. DCI.